SPECIMEN INAUGURALE MEDICUM,

SISTIT

EXAMEN CAUSARUM,

PROPTER QUAS

VALETUDINARIUS,

IN LÆSIONE INTERNARUM PARTIUM CORPORIS SUI, VITAM CONSERVARE POSSIT.

QVOD

AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

CONSENSU

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQVENDIS,

ERUDITORUM DISQUISITIONI

TRADIT

FRANCISCUS THEOPHILUS ROTH, BRIGA SILESIUS,

PHYSICUS INSTERBURGENSIS.

ANNO MDCCLIX. MENSE JULII.

REGIOMONTI,

LITTERIS HARTUNGIANIS.

PRÆFAMEN.

Mirabilem eſſe DEum Dominum in manuum ſuarum operibus, profunditatem in ex hauſtæ ſapientiæ deprædicantibus, quotusquisque eſt, qui non cognoſcit? eamque gratiæ plenitudine repletam, non ſolum in opere creationis, ſed etiam in operibus conſervationis, infinitum numemerum intuentibus, ſe reddere conſpicuam, quotus quisque eſt, qui non agnoſcit? Eluceſſit in hoc opere ſingularis æterni Numinis bonitas, ex qua emanare in perpetuum juſſit, benedictionem ſuam, ſterilem terram cum omnibus productis ſuis frugiferam reddentem quæ cum eſſentialem ſuæ ſcaturiginis indolem habeat, & annihilationi reſiſtat, relicto unius Subjecti habitaculo, alterum inertis naturæ animandum & fertile reddendum occupat. Regnum Vegetabile, evidentiſſimum Divinæ bonitatis, in multiplicato ſeminio, & exinde enato germine benedictionis teſtimonio, nobis ob oculos ponit documentum: quod neque genus, nec ſpeciem ſuam in æternum interire, non patitur, quamvis ex hujus regni fructibus, tantus homiuum & animalium numerus, nutriatur, quantus omnem intellectum fugit.

In Regno animali, non minor Altiſſimi exaltatur Gloria, in præbendo pabulo, unicuique generi appropriato, & ingenerando ſtimolo, ad ſexum utrumque multiplicandum, cohabitationi neceſſario. Terrarum omnium aquas, tellurem & inſulas ambientes & perreptantes ſi inſpicis, benedictionem Domini in centuplo majore numero & pondere, in piſcibus, quam in animalibus terreſtribus, obſervabis, dummodo eorum ovaria, quæ

ſunt belluæ magnitudinis, eorumque, quæ cannabi ſeminis molem vix præſeferunt, contemplare volueris, & diſtincta in eis ſeminia numeraveris. Perſvaſisſimus ſum, te in ſtuporem conjectum exclamaturum eſſe. O! quam mirabilis eſt DEUS Dominus, in manuum ſuarum operibus, Conſervationis quoque opus reſpicientibus. Montium & terrarum viſcera ſi intraveris, in abyſſo fodiendo explorato, ex mineralibus & metallis, ſplendidam arte factam divitiarum molem in eis reperies, quam animus vix concipere, nec oculus ſplendore excæcatus capere poteſt. In quibus duriſſimis lapidum & metallorum corporibus, experimento inſtituto, oculis quidem ſubductum, re vera tamen exiſtens Seminarium, conſervationi ſui generis a Creatore datum, latere, metalli foſſorum teſtimonio convictus, credo: qui in metalli fodina ante centum annos jam derelicta, propter inventam materiam, ſumptibus in eam faciendis, indignam, terra reiterato labore eruta, minerale, prætioſo metallo ditisſimum, detexerunt: quod de ſeminio antea abſcondito, poſtea vero in maturo metallo patefacto, luculentam veritatis demonſtrationem involvit. Hominum genus ſi intueris, prædictorum omnium multo nobiliorem faciem concentratam in eo detegere tibi licebit; quæ Sanitatis conſervationem in ſua integritate reſpicit, & vitam quoque in læſione nobiliorum partium, per plures quandoque annos, protahere novit. Et hæc Corporis humani contemplatio in ſuis partibus, objectum Speciminis hujus eſto; quæ Cauſas inquirit: Cur Valetudinarius vivere tamen poſſit, etſi partes internæ ſint læſæ.

§. I.

§. I.

Quoniam Valetudinarius eſt Subjectum hujus Speciminis. Ordo rei poſtulat, ut de illo definiendo, initium traham. Quare valetudinarius eſt ægrotus, qui variis morbis Symptomaticis exercetur; ut acutus impetus in morbum idiopathicum mortem accelerantem, præcaveatur, & vita imbecillis conſervetur. Aegrotum vero dicendum eſſe valetudinarium, conſtat ex ſignis prægreſſis quæ indicant, hanc vel illam partem corporis ſui internam eſſe læſam. Quæ viſceris hujus vel illius læſio, prouti vel major vel minor deprehenditur, eo majores vel minores quoque dolores, tenſiones, preſſiones; & plura adhuc alia, quæ in morbis Symptomaticis eminent & urgent, patiens comites habet.

§. II.

Eſt autem morbus Symptomaticus, præterraturalis actionum conſtitutio, quæ vel tanquam vere morbida & paſſiva læſio actionum, vel tanquam activa, proportionata, & ſalutari intentione, ſuſcepta alteratio, motuum ſecretoriorum & excretoriorum conſiderari debet. Exemplum, morbum Symptomaticum, illuſtrans, ſeſe offert in Tuſſi Phthiſicorum: quæ, cum ſit motus pectoris diſcuſſorio-eliſorius, quo mediante, motus præternaturalis, in pulmonibus hærentem, materiæ tenacis viſcoſæ vel mucidæ Sangvinis portionem, eliminare intendit; ut actualis exulceratio præoccupetur, & febris hectica, cum reliquis Symptomatibus exacerbatis præcaveatur, ne æger intra breve tempus conſumatur; ſi acutus impetus, morbi ideopathici urgeat; ſed potius,

 per

per plures adhuc annos in ſtatu valetudinario, vivere poſſit.

§. III.

Sicut tuſſis, ex infarctu, minime vero ex ulcere pulmonum, morbum Symptomaticum, viſceris ex parte ſaltem læſi repræſentat: ita hæmorrhagia narium & hæmorrhoides, quorſum etiam referendæ ſunt omnes excretiones mucoſæ, quæ non paſſive ſed active ſe habent; morbi Symptomatici præſervativi faciem addigitant; ne metuenda ex plethora, varia morborum genera innidulare poſſint; ſi proportionata quantitas, ſalutari intentioni deſtinata, in hoc excretionis genere ſervetur: quousque tali motu tonico aucto exercitatus, homo ſanus dicendus erit. Ubi vero vel ex diætæ vitio vel ex naturæ errore motus ille, in quantitate humoris ſangvinei vel mucoſi excernendi, vel excedit vel deficit, facile ex hujus vel illius viſceris læſione aliquali non totali, fieri poteſt, ut hinc inde corporis Symptomata exſurgant, iisque vexatus homo, ægrotus, non quidem morbo chronico decumbens, prædicandus, re vera tamen in ordinem Valetudinarium referendus ſit, quorum Sanitas quidem eſt imperfecta, vita tamen præſenti periculo minime eſt obnoxia.

§. IV.

Progredior nunc ad cauſam maximi momenti contemplandam: Cur valetudinarius læſis partibus internis, tamen vivere poſſit. Notum eſt, ex inſpectione corporis humani, ſapientiſſimum ejus Creatorem, omne viſcus, vitalitati inſerviens duplici vel lobo vel numero inſtruxiſſe non alium certe in finem, quam ut læſo uno, alterum

alterum ſervari poſſit integrum: quo beneficio dato, vita periclitans retardetur; quod fieri non poſſet, ſi numerus ſaltem ſimplex non diviſus in viſceribus eſſet conſpicuus. Intueri ſi placet, cerebrum & cerebellum; ventriculum cordis anteriorem & poſteriorem; Pulmonem dextrum & ſiniſtrum; lobos in hepate & liene bispartitos; renes & teſticulos intervallo diviſos, ventriculum & alia, duplici numero cohærentia, in quibus omnibus viſceribus, vitalitati nutritioni & generationi inſerventibus, binarium numerum facile deprehendes: qui usque adeo ad partes corporis externas, pedes & brachia, imo ad ſenſus quoque externos, organa auditus, viſus, olfactus, Guſtus & tactus, ſeſe extendit. Ex qua admirandæ ſapientiæ ſtructura, tantopere amorem & providentiam Creatoris erga opus manuum ſuarum facile cognoſces, qui noluit, ut læſa una vel altera viſceris parte, in ſua integritate, nihilominus in læſione ſubſiſtat: quia infinitus in ſtructura corporis, viarum eſt numerus in quibus adempta una vel altera, ex aliis ſubordinatis & ſubſtitutis viis, vita conſervari poteſt ita quidem ut homo, non ſanitatis vigore ſuperbiens, ſed virium imbecillitate humiliatus, valetudinarius, inde exſurgat.

§. V.

Ex allegatis rationibus cauſam proximam facile intelligere poteſt, cur valetudinarius ſubitaneæ morti non ſit expoſitus, ſed potius quandoque pro rerum circumſtantia, diuturnitati vitæ reſervatus ſit. Memorabili exemplo, in actis N. C. reperibili, quod loco aliorum eſto! veritas dictionis clarior apparebit. Juvenis viginti quinque annorum, ex provocato ſangvinis orgaſmo, incidit in enormem hæmoptiſin. Medicus ſvadebat

debat reiterandam venæſectionem; ſed infelici ſucceſſu, quia ſincerus ſangvis in duplo majore pondere excernebatur, in eum gradum, ex quo ſubitanea mors metuenda fuerat, præcipue, ubi reiteratus impetus omnia medicamenta ſubadſtringentia ſprevit, & ſuſpicio Arteriæ in extremitate ruptæ, triſtiſſimam prognoſin confirmavit. Jacebat æger ex peracuto ſymptomate in ſtratum ſtramineum conjectus, ſublevi tegumento ſemianimis, ſine vocis perceptione & ſenſibili reſpiratione, per integrum diem & noctem, ne cruor ſangvinis extravaſati moveatur, & Tuſſe accedente floridi ſangvinis repetita excretio de novo provocetur. Elevatis ſaltem oculis æger intuebatur Autorem & Conſervatorem vitæ, & fractis ſuſpiriis ejus implorabat auxilium.

§. VI.

Diebus inſequentibus, ſenſit patiens tuſſiculam naturali inſtinctu excitatam, quæ cruorem ſine relicto reſiduo, ſucceſſive excernebat. Quo negotio finito, decumbens in lecto vitam non niſi juſculis gelatinoſis ſuſtentabat, & tritum jam dudum proverbium commendatum ſibi habebat. Si tibi deficiunt Medici, hæc tria Medici tibi ſunto!

Mens hilaris, Requies, moderata Diæta.

Quo vitæ genere, Juvenis valetudinarius, per integrum quinquennium, exacte ſervato, virilem ætatem conſecutus, non ſolum amiſſam Sanitetem recuperavit; ſed corpore & animo quoque robuſtior factus, octoageſimum vitæ ſuæ annum, ſine magna morborum moleſtia, incolumis tetigit. Fatis denique perpeſſis ſenex valedicens, cultro anatomico curioſo occaſionem dedit, ad Viſcus Pulmonum inſpiciendum & læſionis veſtigium detegendum

dum quod dextrum Pulmonem, ſiniſtro minorem, & in ſupetiore ejus parte, cicatricem, digiti transverſi magnitudinem præ ſe ferentem, aperuit, quæ indicabat, ex Subſtantia ejus, in purulentam materiam converſa & ſucceſſive excreta, decreviſſe Pulmonem læſum, ſalvo reſpirationis negotio. Allegare poſſem, adhuc alia documenta, in Subjectis valetudinariis detecta, quorum alterutrum viſceris organum, ex profunda læſione, officio ſuo fungendo inhabile factum eſt, in quo rerum ſtatu, Valetudinarius per plures annos vixit, dummodo alterum fuerit integrum; niſi anguſtia paginæ prolixæ materiæ reſiſteret.

§. VII.

Ne vero putes, in profundo naturæ operoſæ ad conſervandum domicilium ſuum, latere unicas cauſas, propter quas valetudinarius vivit. Scire te convenit, naturæ Dominum ſuos habere miniſtros, in arte vero Doctores & Magiſtros, quorum cogitatio, induſtria & labor eo fertur, ut in morbis ſuperandis, paſſivæ naturæ, in iis partibus, ubi imbecillem vel erroneam eam deprehendunt, ſalutari ſuo conſilio & efficaci auxilio, ibi ſuccurrant, & viam rectam in motu & tono reaſſumendam, aperiant. Quorum collato beneficio, mille valetudinarios, ſat diu & ſat bene vixiſſe, nec vulgo ignotum eſt; dummodo natura cooperans ſuum quoque conferre potuit Symbolum; quod in diſcraſia fluidarum, & atonia ſolidarum partium, non niſi raro ſperandum eſt.

§. VIII.

Memoratu dignum exemplum, non natura ſed arte datum ante oculos ponere mihi pla-cuit; in Virgine circiter triginta annorum, nobili genere

B nata:

nata: quæ valetudinaria per multos annos, variis varii generis, morbis Symptomaticis torquebatur: iis quoque non exclusis, qui suspicionem veneficii prætulerunt, & cum natura humana nullam conformitatem habuerunt. Siquidem illa aliis temporibus latratum canis, aliis cantum galli gallinacii, aliis ululatum lubi, aliis hinnitum equi & mugitum bovis imitabatur. Quæ inusitata symptomata omnia artis exquisita remedia illuserunt. Accedebat tandem Medicus, qui ni fallor ex lectione eruditorum in arte curiosorum comperuit, ea & simila præternaturalia symptomata originem trahere consvevisse, ex vario verminoso seminio, quo sublato, tanquam causa, effectum quoque sublatum iri, sperabat. Propinabat ægrotanti virgini remedia vermes enecantia & excernentia, felici omine & felicissimo successu, quia integros in excretione folliculos detexit, iisque sublatis, diu decumbenti, exoptatam sanitatem restituit.

§. IX.

Constat præterea, non omnes hujus vel illius visceris læsiones, pari modo esse periculosas, vitæ insinuandæ. Alia enim est ratio, visceris in profunditate sua læsi, alia saltem in sua superficie: alia quoque universalis, alia vero particularis læsionis faciem præbet. Prout enim hæ læsiones gradu inter se differunt; ita quoque majore vel minore periculo circumscribuntur. Quorsum referendi sunt, morbi chronici & morbi acuti. In prioris morbi statu, per plures annos, valetudinarius vitam protrahere potest; in posterioris vero morbi impetu, intra unius vel alterius septimanæ periodum, vitam suam abbreviatam iri, ægrotus, decumbens, metuere debet. Cujus morbi distinctio, Valetudinarium quoque ab ægroto probe distingit: ita quidem, ut prioris actiones

nes vitales, animales, mixtæ & morales quoque non nisi partialem, levem & minus periculosam læsionem patiantur; quæ eum ab occupationibus negotiis & laboribus, viribus suis emetiendis, non deterret multo minus excludit; per consequens, vitam quoque suam, nisi vitium in diæta servanda commissum, concurrat, per unam vel alteram annorum seriem adhuc conservandam, ei promittit: de quibus prærogativis, ægrotus, in febribus inflammatoriis, inter spem & metum reconvalescentiæ dubiose hærens, sibi gratulari nequit.

§. X.

Veritatem dictorum, clarior lux affulget si uno vel altero exemplo illustrante, Lectori subvenire non neglexero. Offero tibi duo Subjecta, hepatis læsione laborantia, quorum alterum conquerebatur, de insigni corporis lassitudine, quam excipiebat strictura & compressio sub scrobiculo cordis, unde angustia præcordiorum cum difficili respiratione; sentiebat quoque talem pressionem in hypochondriis versus latus dextrum, cui se adjungebat febricula cum flavedine, primo quidem gradu in oculis, deinde autem per totum corporis habitum. Quæ signa satis sunt manifesta, icterum apparuisse, qui ab hepatis constrictione, transitum bilis ad folliculum & intestina intercipiente, originem suum trahit; in tali rerum statu, quia non profunda sed levis saltem visceris læsio adest, quæ per ad propriata Medicamenta curationem in dubium minime vocandum admittit, valetudinarius, longævitatem vitæ suæ promittere sibi potest; præcipue si motus & potus sufficiens, corpori non denegandus, remediis medicamentosis se associare valeat.

§. XI.

Audiamus nunc quoque alterius Subjecti quærelas, profundiore hepatis læsione ex citatus, ut exindè cognascamus, gravitatem morbi, cui nulla propemodum spes vitæ conservandæ relinquitur. Tumorem & duritiem in regione hepatis, constanter & durabiliter se sentire prædicant quæ pathemata haud raro sensu quoque externo percipienda excurrunt: quibus dolores obtusi, tensivi, gravativi se conjungunt: tussim & affectionem asthmaticam, utramque siccam accedere dicunt: Sensibilem denique hecticam, corporis cum tabe, in partibus superioribus, cum tumoribus vero in partibus inferioribus, concurrentem, se observasse perhibent. Quæ tristissima phænomena scirrhum hepatis incurabilem adesse, indicant, qui perpetuam dispositionem habet, ad corruptionem subeundam, sive inflammatorio-suppuratoriam, sive sphacelosam quarum neutra neque restituendam sanitatem, neque retinendam vitam promittere potest. Ex inde cognoscimus, non tales & similes Viscerum læsiones profundas, sed leves saltem ad statum valetudinarium pertinere, cui spes vitæ ad tempus conservandæ affulget.

§. XII.

Interea non nego, existere casus, ubi ægrotus ex acuto morbo superstes in chronicum delapsus, valetudinarius factus est, qui non obstante visceris exulceratione, & confectariis mali moris exinde dependentibus, per plures quidem annos, sed miseram doloribusque per intervalla recurrentibus, excruciatam vitam egit. Talem ob oculos pnno, in valetudinario, calculo renum & vesica laborante. Hic ex congestoria Sangvinis Stasi, & hanc in secuta febre inflammatoria, quam presso pede

excepit

excepit ulcerosa corruptio, concrementum mucido-salinum, calculus renalis dictum expertus est: quod, ubi per angustos ureteres in vesieam urinariam emittitur, lancinantibus doloribus patientem usque edeo excruciat, ut cum periculo vitæ amittendæ nihilominus eam conservet, & positis iutervallis, valetudinarium ab omni morborum Symptomaticorum molestia liberet. Caussam insecuti hujus naturæ beneficii si inquiris, non aliam in arte medica detectam invenio, quam eam, quæ prædicat remittente paroxismo, omnes actiones vitales animales & mixtas, quoad motum & tonum in patiente rite denuo succedere, & restitutæ sanitatis vultum induere.

§. XIII.

Præter omnes supranominatas causas quæ valetudinarium in læsione visceris conservare possunt; singularem Naturæ bonitatem, quam optimo Jure Medicum sine Medico appellamus, in scenam quoque producere placet, ex Observationibus Medicorum Practicorum provocatam; quorum testimonia confirmant, se vidisse hydropicis affectibus laborantes, de quorum læsione in vasis lymphaticis nullatenus dubitaverunt, qui ex usu remediorum domesticorum, tantam diuresin experti sunt, quantam, extravasati humoris quantitatem in corpore latitasse vix crediderunt: quo excretionis genere, ægrotantes, a præsentaneo vitæ periculo liberati, statum suum periculosissimum, cum statu valetudinario, qui sibi reservationem vitæ per annos indeterminatos promisit, commutarunt quam naturæ bonitatem in morbis hydropicis, ubi non solum vasorum lymphaticorum læsio, sed tonus quoque in universa corporis peripheria debilitatus de-

 prehen-

prehenditur, inter plurimos, non nisi paucissimi, singularis bonitatis, experiuntur.

§. XIV.

Superest adhuc unica causa, commemoratu dignissima, in hoc passu eruenda: quæ est confidentia erga Medicum & Medicinam, hæc, quantopere mirabiles effectus in corpore humano producat, non ad vulgum provocandum, sed scientifice demonstrandum erit. Est autem confidentia entis spiritualis activa qualitas, quæ ad corpus sibi gratissimum ardenti desiderio fertur, ita quidem, ut illud strictissimo non solum vinculo teneat, sed ideam quoque suam huic imprimat.

Quam ergo ideam spiritus in corpore humano vitalis, sibi repræsentat, eam quoque subjecto sibi corpori imprimit, ut, quam in mente habuit invisibilem, visibilem in corpore reddat. Hanc confidentiæ definitionem si ad ægrotum, visceris læsione aliquali laborantem, applicamus, eumque singulari amore ad hunc vel illum Medicum, exclusis omnibus aliis, ferri animadvertimus, subito experiemur, negotium curationis multo feliciorem habere successum, quam in alio, ubi fastidium erga Medicum & Medicinam morbum exasperat & mortem accelerat. Ratio fundata est, in principio immateriali activo cooperante; quod sibi subjectam partem matetialem passivam virtute sua illuminante & fovente ita corrobarat, ut contracto novo vigore sibi inimicum secernat & expellat amicissimum vero conquirat & retineat, amissumque vigorem læsæ parti restituat.

§. XV.

Exemplorum, admirandam confidentiæ efficaciam, illustrantium, tantus in re publica est numerus, quantus est vulgi & plebejæ multitudinis, remediorum apparatus, quam-

quamvis haud raro absurdissimus, in morbis suis tamen tollendis, quandoque efficacissimus. Ecquis est? qui præter hanc confidentiæ mirificam proprietatem, quæ tamen nihil aliud est, quam Spiritus vitalis activitas, vel avtocrateia naturæ, ab aliis quoque animæ energeia dicta, aliam adhuc in artis ratiocinio detectam causam, in curandis variis morborum generibus reddere potest: quæ cum omnes actiones morales, ad vitam in tempore beatam dirigat, ad æternam quoque felicem hominem disponat, imaginatione sua in partu, monstrosa quandoque addat, & corpori essentialia tollat: quid impedit, quo minus actiones animales & vitales, in motu & tono proportionatas, ad vitam servandam necessarias, conservet, remotis inutilibus, utilia retineat, in læsis partibus, defectum suppleat; ex ægroto, inter malleum mortis, & incudem vitæ hærente, Valetudinarium, denique hominem sanum faciat.

§. XVI.

Sufficiat! institutum hoc examem causarum, ex arte medica & natura rerum petitum, idque ratione & experientia in demonstratione corroboratum, quo ipso sentio, me lapidem dubitationis removisse, introitumque apreuisse, ad detegenda plura adhuc, in naturæ abysso recondita, & insequentibus seculis reservata mysteria: Sufficit mihi ad rationis intellectum demonstrasse; valetudinarium quem cognoscendum tibi addigitavi, in læsione hujus vel illius partis internæ adhuc sanabilis, vivere non solum sed per plures, opinioue annos, vitam suam protrahere posse: si debitam adhibuerit diligentiam, ad mentem perpetue hilarem acquirendam, ejusque castitatem in casto corpore conservandam rebusque suis, ad modulum necessitatis non satietatis, ex providentia divina,

in

in omni vitæ ſuæ diſcrimine ſibi datis, contentum eſſe; quibus ſufficientiæ divitiis, animus in requiem translocatur, ut corpus plura quoque, quam quæ conſervationi inſerviunt, non appetat. In fine problnma ſolutum, exclamat. Fac ea! Valetudinarie, quæ coronidis loco dicta ſunt, & vives!

§. XVII.

Huic fini, annectere adhuc plucuit, ſententiam meam, ex pertractata materia in compendium redactam: ut ex ea dijudicatio ex parte pateat, utrum in demonſtrationis progreſſu, viam regiam artis medicæ ſecutus ſim an vero in ſemitas devias deflexerim. Quare ſtatuo, valetudinarium, læſis partibus internis, in hujus vel illius viſcere, vivere poſſe. 1) Si ex obſtructione vaſorum vel ſangviferorum, vel lymphaticorum, vel chyliferorum primi generis, vaſa ſecundi vel tertii generis, ſunt illæſa, ut per ea tranſitus humorum pateat, & circulatio quodam modo in fracta, in tantum ſaltem, minime vero in totum tollatur. 2) Si in viſceribus duplici vel lobo, vel numero, praeditis, uno ſaltem læſo, alter vero ſalvus exiſtit, ut per eum ſe & exeretiones promoveri poſſint. 3) Si læſio non per ſe eſt lethalis. 4) Si morbus congruis medicamentis ſaltem leniri poteſt. 5) Si læſio ex fonte diætetico curationem admittit. 6) Si læſio non eſt tam gravis, ut febris inflammatoria, & triſtiſſima conſectaria eam excipiunt. 7) Si in Syſtemate nervoſo partes minus principales ſunt læſæ, & a tonia ſaltem particularis exiſtit.

TANTUM.

